

de certissimum est, quicquid in iis exaratum reperitur, nil nisi veritatem continere merissimam, & ab omni falsitatis errorisque consortiò liberrimam; adeóque veros divinorum Eloquiorum sensus illi semper consentire, his verò contrà continuò repugnare. Ex quibus evidentissimè consequitur, omnes veritati adversantes Scripturæ expositiones, etiam ejus adversari vero sensui, adeóque esse falsas, alienas, spurias, & à Dei mente longissimè removen- das. Qui igitur alicujus S. Literarum loci interpretationem vero non conso- nam, sed dissonam esse, & deprehendere & ostendere poterit, simul etiam illam esse erroneam, ac spuriam falsamque, & à verò sensu longè alienam in- veniet atque evincet, nec idcirco illam pro verâ aut aliis obtrudet, aut sibi obtrudi patietur, ac sic posteriorem Interpretis officii partem, quam in fal- sarum aliorum explicationum deprehensione ac ostensione sitam esse diximus, dignè ac debitè adimplere poterit.

6. At non tam facilè res expeditur cum priore, verorum nempe sensuum investigatione ac demonstratione. Quamvis enim jam extra omnem dubita- tionis aleam posuimus, *omnem verum alicujus loci S. Scripturæ sensum esse etiam veritatem*; hujus tamen enunciationis conversum ejusdem notæ esse non videtur, nempe, *omnem veritatem esse etiam verum sensum*. Potuit enim contigisse, ut eòdem Scripturæ locò, qui plures admittit sensus, plures con- tineantur veritates, quarum tamen unam tantùm, remotis cæteris, in ani- mō, dum ista verba exarabat, habuit, & significare voluit sanctus illius loci Author. Quocirca quamvis una, aut plures, imò etiam omnes alicujus loci anticipis veritates, quæ eò contineri possent, eruantur demonstranturque: dubium tamen incertumque relinquetur, num illam, vel quamnam earum, si una, aut quamnam, si plures significantur (quod fieri posse suprâ innuimus) facer illius Scriptor voluerit intellectas. Unde consequi videtur, verum, quem nos assignavimus, S. Literarum Interpretem posteriori sui muneris parti satis superque sufficere, at non simili modò priori, quam tamen præci- puam esse, & quilibet judicabit & nos ultrò agnoscimus.

7. Verumenimverò etiamsi vires nostri Interpretis non altiùs, quàm dixi- mus, affurgerent, nec ultra has positas metas se extenderent; minimè ta- men negari poterit, illum cæteris omnibus longè præcellere, ac multis pa- rasangis anteponi debere hâc tempestate, quâ ab ipsis Prophetis & Aposto- lis, aliisque sacris Scriptoribus verum genuinumque ac nativum Scripturæ sensum petere non liceat; nec quisquam, sibi illi eruendo sufficientem Spiri- tus S. lucem affulgere, indubiè probare queat. Etenim, cùm cæteri nec falsa aliorum interpretamenta certò deprehendere & ostendere, nec locorum S. Scripturæ veritates, nedum veros sensus investigare & demonstrare va- leant; hic noster, si non infallibiliter veros sensus, at saltem veritates elice- re, &

re, &